Imperiorum tranſlatio non eſt
penes pontificem Romanum.

CErnitis vt Flamen ſatagat, turbetq: Quirinus?
Transferat vt nutu ſceptra, thronoſq; ſuo?
Sceptra ſuo? Vanus furor eſt ſine Viribus, illa
Tu transferre potes? quâ? quid? vt? vnde potes?
Eia, age, Iacobum (potes & petis) exue regno,
Immo haud (hinc rabies) quod petis vſq;, potes.
Sed nec iure potes; cum & Cenſum ritè Neroni
Soluerit, ac ſolui iuſſerit, ipſe Deus.
Eſto, potes; quî ſacro animas iuramine nexas,
Et iuſto ſolues ſubdita colla iugo?
Quæ ſemel his eſt ſtrictra fides, quêis ſubdere Paulus
Vult omnem ſe animam, non ſoluenda fides.
Eſto, licet ſoluas, at quî quæ regià ſceptra
Non te, Papa, penes, te dare, Papa, penes?

Iuppiter Ergo Italus percellens fulmine bruto
Intonet vſq; licet, Rex ſolio vſq; ſede.

Decretum electionis & reprobationis
pendet a mera dei voluntate.

ELigit hos, alios reprobat diuina VOLVNTAS:
Cur deus hæc faciat quæris? ratio vna VOLVNTAS:
Præterit, obdurat; quæris? ratio vna VOLVNTAS.
Error Origenis eſt Animam meruiſſe, priuſquam
Corporis in latebras ſeſe inſinuaret: Amorem
Arbitrio multos proprio meruiſſe, Britanni
Hæreſis eſt Monachi: Concurrere gratiam, & vnà
Cum noſtro arbitrio ſocio meruiſſe labore,
Et ſociâ mercede frui, furor iſte Papiſtæ:
Præuiſâ fidei ſed conditione ſalutem
Donari, clamat ſatis ardens turma Lutheri.
Tramite de recto hos ſeduxit devius Error.
Lapſus Adæ me, te, ſimul omnes implicat. Iſtum
Deſtinat æternis in Chriſto ſedibus, illum
Præterit: hunc linquit propriis in ſordibus, illum
Eximit: An quereris præfractus homuncio? vincla
Tune Deo iniicies? Age. deſine reſponſare.
Et vitæ & mortis ratio Vna & Vera, VOLVNTAS.
Hoc voluit: ſatis eſt. NIHIL VLTRA: hic fige columnas:
Vlterius nihil eſt niſi SVMMAE MENTIS abyſſus.
Quem tu ſi attingas, præceps ruis——

Ergo VOLVNTAS

Sola dei electos ſervat, reproboſq; repellit.